



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Gregorii Papae XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

tuo Ægidio cardinale, Ioannem Haucut ducem bellicosissimum militiæ ecclesiasticæ præfecit. His peractis, in Gallias se recepit, vbi vir iuxta chronicum Hirsaugiensē doctus & sanctissimæ conuersationis, qui crucem prædicari fecit contra Turcas, & multa bona patrauit, post octauum annum & mensem secundum administrati pontificatus, decimoquarto Kalendas Ianuarii, anno 1370. diem clausit extremum, eo tempore quo Brigitta mulier deuotissima causa reddendi voti Romam venerat.



## VITA

## GREGORII PAPÆ XI.

ANNO  
CHRISTI  
1370.

**G**REGORIVS vndecimus natione Lemouicensis, antea Petrus Bellifortis vocatus, decimo septimo ætatis suæ anno cardinalis per Clementem sextum patrum suum creatus, virtutum merito omnium consensu supremum ecclesiæ gradum conscendit tertio Kalendas Ianuarii, anno Domini 1370. tempore Caroli IV. imperatoris. Hic cum totam Italiam tumultibus occupatam videret, eo cardinalem Gebennensem cum sex millibus leuis armaturæ equitum Britonum misit. Quorum aduentu cum nihil a tumultuatione recederetur, ipse pontifex confirmato animo, viginti & vnam triremes super Rhodano præparari imperauit, alioque properare se fingens, primo Genuam, inde Cornetum, ac postremo itinere terrestri Idibus Ianuarii Romam peruenit, anno 1376. qui erat a translatione curiæ Romanæ in Gallias per Clementem facta annus septuagesimus. Huius transmigrationis causam alii aliam referunt. Platina scribit, quod quidam episcopus familiariter a pontifice reprehensus ob id quod in episcopali sede non resideret, infracto & constanti animo responderit: Et tu qui vniuersalis ecclesiæ omniumque episcoporum caput es, cur ad propriam ecclesiam non redis? eaque responsione motum pontificem reditum maturasse. Gobelinus cap. 73. sextæ ætatis, instinctu & reuelatione Dei, quæ sanctæ Brigittæ tunc adhuc Romæ degenti aliquoties obtigerat, perque Alphonsum quemdam eremitam illi secundo insinuata

*Concil. Tom. 29.*

S ij



erat, accidisse quod Auenione Romam redierit. Urbem ingressus, incredibili omnium applausu exceptus, præpropere mœnia vrbs, ecclesias, aliaque loca quæ ruinam minabantur, reparauit. Omnibus autem modis Italiae quieti & bono publico consulens, legatum ad Florentinos destinauit, qui eos ad pacem ineundam adhortaretur: quibus iussa exequi negligentibus excommunicationis medelam infixit. Adhæc, cum eisdem armis ad id adigere meditaretur, inter Genuenses & Venetos noua dissensio suboritur: quos dum ad vnionem reducere tentat, incredibili vesicæ conflictatione impeditus est, ac quinto Kalendas Aprilis anno supra millesimum trecentessimum septuagesimo octauo, magno sui omnibus ingenerato desiderio, obiit, ac in sancta Maria via noua sepultus est, cum sedisset annos septem, menses duos, dies viginti nouem.



## V I T A

## V R B A N I P A P Æ V I.

ANNO  
CHRISTI  
1378.

**V**RBANVS VI. patria Neapolitanus, patre Pisano & matre Neapolitana genitus, vir humilis, inquit Theodoricus, & deuotus, zelator castitatis & iustitiæ, sacrorum Canonum doctor peritissimus, ex archiepiscopo Barenfi, citra metum Romani populi vel Italum vel Romanum pontificem expetentis, communi omnium cardinalium Romæ degentium suffragio electus est sexto Nonas Apriles, anno Domini 1378. tempore Caroli IV. & Vvenceslai imperatorum. Cardinales conclaue egressi omnes iurato deposuerunt, se nullo metu populi obstante eum libere creasse pontificem, quem tanto munere dignissimum omnes diiudicarent. Memorabile est quod de hoc pontifice refert Theodoricus libro 1. capite 1. his verbis: Hic ante ipsius papatum per multos annos me existente cum ipso singulis noctibus, postquam ad cubile suum causa quiescendi ascenderat, coram se in bibliis quo vsque dormiret legi faciebat; & raro vel nunquam tempus aliquod vigilando otiose consumpsit, sed aut studebat, vt prædixi, seu commissa sibi exercebat officia, vel orabat: